Nicolaus Episcopus servus servorum dei. Venerabili fratri Nicolao de Una Episcopo Interamnen. Salutem et apostolicam benedictionem. In excelso sedis apostolice solio superne dispositionis arbitrio constituti
magno utique desiderio ducimur et operam operamque sollicitam adhibemus ut viduatis Ecclesiis ne prolixe vacationis exponantur incommodis dispendiis pregraventur pastores preficiantur ydonei rectores providi deputentur per quos solerter in
industriam et sollicitudinem vigilantem eedem Ecclesie subductis obstaculis et impedimentis quibuslibet profugatis in pacis pulcritudine sedeant prosperis semper fulciantur eventibus et votivis successibus gratulentur. Dudum siquidem karis
simus filius noster Ludovicus Romanorum Imperator zelo fidei et fervore devotionis accensus de consilio et assensu multorum in sacra pagina magistrorum cleri populique Romani Jacobum de Caturco hereticum manifestum
olim dictum Johannem papam XXII quia in nonnullas hereses incidit manifestas omni dignitate omnique pontificatus honore privavit seu privatum verius nuntiavit. Nosque processu temporis ad apicem apostolice dignitatis assumpti prolatam
per dictum Imperatorem exinde sententiam confirmantes et de novo eadem etiam promulgantes contra eidem dampnati heretico sequaces et ei pertinaciter adherentes inquirentes invenimus Thomam de Chebalteschis de Urbe qui se pro Episcopo
Interamnen gerebat eidem Jacobo notorie adherere et contra nos rebellionis calcaneum erexisse ob que eundem citari fecimus et moneri ut infra certum terminum iam elapsum quem ei peremptorium duximus assignandum compareret persona
liter coram nobis suam super premissis si posset innocentiam ostensurus in eum ferre privationis sententiam comminantes. Et quia coram nobis ipse vel alius in termino sibi dato vel post diutius expectatus non comparuit ullomodo eundem
Thomam omni iure si quod sibi competebat in Episcopatu predicto omnique dignitate et potestate privavimus iustitia exigente provisione ipsius Interamnen Ecclesie ea vice ordinationi et dispositioni apostolice sedis et nostre auctoritate apostolica reserva
tes. Decernentes ex tunc irritum et inane si quid de prefata Interamnen Ecclesia contra huiusmodi reservationis nostre tenorem scienter vel ignoranter a quoquam contigerit attemptari. Ex tunc levantes intuitu oculos nostre mentis et ad
personam tuam litterarum scientia preditam morum gravitate decoram consilio providam ac in spiritualibus et temporalibus circumspectam considerationis aciem extendentes ac intendentes patris more sollicita Interamnen Ecclesie prelibate utiliter providere
de te ordinis fratrum minorum professore eidem Interamnen Ecclesie de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine providemus teque illi preficimus in Episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus con
mittendo ac tibi fecimus per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum Episcopum Albanen munus consecrationis impendi teque ad ipsam Ecclesiam cum plenitudine gratie remittendo in illo qui dat gratias et largitur premia confidentes quod prefata Interamnen Ecclesia
sub tuo felici regimine prospere dirigetur et salubria dante domino suscipiet incrementa. Quocirca fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatenus Impositum tibi onus a domino suscipiens reverenter curam et administrationem
predictas sic diligenter geras et sollicite prosequaris quod Ecclesia ipsa gubernatore provido et administratore fructuoso non immerito gaudeat se commissam et fame laudabilis tue odor ex tuis claris actibus latius diffundatur et preter
benedictionis eterne premium benivolentie nostre gratiam exinde uberius consequi merearis. Dat. Viterbii Duodecimo Kl.
Novembris Pontificatus nostri Anno Primo.

ARCHIVVM SECRETVM APOSTOL. VATICANVM